Vir venerande ac celeberrime,
Patrone et in Christo frater
amicissime.

Etsi superioribus literis meis respondere non sunt passa negotia tua; tamen de amore in ecclesiam nostram tuo adeo non sum dubius, ut etiam ejus quandam causam tibi commendare audeam.

Schmalkaldia (in quam civitatem ante complures annos per vim intrusa sunt ad Calvini praescriptum reformata sacra, nostratibus ibi in hunc usque diem molestissima) Stockholmiam proficiscitur D. Clemens, Regi vestro augustissimo expositurus cum alios cruciatus, quos a Reformatis nostri perferre coguntur, tum in primis rem apud nos inauditam, nimirum ἐπισκοπὴν in ecclesias scholasque superstites infimo Schmalkaldiae diacono collatam, ita, ut hic iam sit honore loco que sui primarii pastoris praepositus.

Quare id agitur, ut nostri internis dissidiis se invicem devorent, aut saltem cedant, donec opprimantur phthisi Calvini arte parata, cum passim febri maligna in nos grassetur.

Te igitur singulariter rogo, cum omnes
in cancellaria Hassiaca Holmiae
laborantes periniqui esse nostratibus
dicantur; ut Sueco ~~quidam~~ cuidam viro illustri
negotium, quod D. Claner tradidit,
enixissime commendes. Nosti, quid scriptura
de consortibus fidei nos agere, tentareque
iubeat.
Si forte fanatici hominis de B. Buddei mor-
te narrationem legisti; cave, ei fidem adhi-
beas. Nisi caritatem iustitiae tulissem ante,
per carnificem combustum esset illud men-
daciorum compendiolum. Audi alteram
partem.
D. Staffii ex Moguntino apographo descriptam
confessionem Aug. si vidisti, procul dubio
bilis tibi mota est, ob falsi crimen Statibus
nostris in Formulae concordiae praefatione
testimonium perhibentibus proterve impactum.
Nihil sani ibi est, nisi aliunde exscriptum; er-
ror praeterea multiplex, etiam Geographicus,
cum Brüssel in Lile s. Ryssel commutatum
sit. Interim dolenda sunt duo, 1. hunc virum
famae chartaceae sibi promercatum fautorem
legitimorum, docendi normam Augustanam
in summam incertitudinem coniicientium; 2.
neminem esse virum gravem, qui illatam
ecclesiae iniuriam modeste vindicet. Autogra-
phum Moguntini asservari certius novi, quam
Staffium unquam habere. Sed cavillant, ut
hanc de varietate confessionis fabulam alant
ac ~~suffarcini~~ infarciunt legitimae.

Bone deus! quo prolabimur! Ego studiosissime
in editione mea servavi consensum cum
electoralibus, quibus cum, denique cum pro
aris et focis, pro F. C. pugnarunt
Tubingenses veteres contra Jesuitas.
Hic omnia pervertit, Forerique
calumnias in thronum locat. Quam
multas calumnias ego devoravi, ne
augescerent interea misere afflictae
ecclesiae nostrae dissidia. Nisi prae-
viderem, D. P. conatuum denuo
in me reges Angliae et Borussiae
cum Ratisbonensibus legatis; ipsemet
aestimarem eius pestilentes nugas,
nulliusque momenti, si rem ipsam
spectes, observationes. Sed ubi nunc
est rerum mearum auditor, precibus
deum orare, ut alium excitet virum
bonum, qui id faciat.
Dominus Jesus te servet cum domo
et academia. Vale. T.

amici obsequ.

E. S. Cyprianus

D. Clemens enixe
commendo, ut
libris systematicis invig.

Die evangelische Gemeinde zu
Schmalkalden, die fast 2mal so groß ist als die
reformirte, darf ex aerario entg. kein armen 1 Hellerstreich.